Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31714
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et abscondam ab eis faciem meam. Et iterum. quibus se placabilem prebet et promittit dicens. Et non avertam faciem meam a vobis. Unde et beatus daniel istis verbis exorat dicens. Exaudi domine preces servi tui. illumina faciem tuam super sanctuarium tuum. et propitius intende populum istum. super quem invocatum est nomen tuum. Neque enim deus humana forma faciem aut vultus habere putandus est. Quia et dominus in evangelio ait. Spiritus est deus. et eos qui adorant eum. in spiritu et veritate oportet adorare. Sed facies et vultus dei presentia eius est. Quid est enim facies dei super nos illuminata. nisi eius presentia declarata. cum misericordiam et bonitatem ipsius presentem nobis adesse sentimus. Sic et respicere dei visitatio pietatis eius est. Sicut in psalmo orantes dicimus. Deus virtutum respice de celo. et vide et visita vineam istam. Oratur itaque omnipotens deus. ut placabilis et propitius factus. sereno vultu id est declarata bonitatis et pietatis sue presentia. respiciat dignanter ecclesie sue munera et accepta ac bene placita habeat sicut munera pueri sui iusti abel. Cuius fides et iusticia et oblationis acceptatio et in lege veteri commendatur. Ubi scriptum est. et respexit ad abel et ad munera eius. et in evangelio dicente domino. a sanguine abel iusti. usque ad sanguinem zacharie filii barachie. Et ab apostolo. ubi ad hebreos scribit. Fide plurimam hostiam abel quam cain obtulit deo. per quam testimonium consecutus est esse iustus. testimonium perhibente muneribus eius deo. et per illam defunctus adhuc loquitur. Qui non etate sed puritate et simplicitate. puer dei appellatur. Sicut et iam de david qui mortuus est senex. et plenus dierum. tamen in evangelio dicitur. Et erexit cornu salutis nobis in domo david pueri sui. Et sicut sacrificium inquit patriarche nostri abrahe utique quod sacrificium in oblatione unigeniti filii sui ysaac obtulit deo in holocaustum. Quod ita acceptum fuit. ut statim mereretur audire. Per memet ipsum iuravi dicit dominus. quia fecisti rem hanc. et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. benedicam tibi et cetera. Qui est patriarcha in tantum